OFFICIUM PROPRIUM IN FESTO S. PII V. PONT.

SEMIDUPLEX, DE PRÆCEPTO, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hîc apponuntur propria.

ORATIO.

DEus, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ hostes, & ad Divinum cultum reparandum, Pium V. Pontificem Maximum eligere dignatus es: fac nos ipsius defendi præsidiis, & ita tuis inhærere obsequiis, ut omnium hostium superatis insidiis, perpetua pace lætemur. Per Dominum nostrum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectio de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PIus in oppido Insubriæ, quod Boschum vocant, natus, sed è Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum familia, cùm quatuordecim esset annorum, Ordinem Prædicatorum ingressus est. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, summa vitæ au-

austeritas, continuum orationis studium, & regularis observantiæ, ac divini honoris ardentissimus zelus. Philosophiæ verò, ac Theologiæ incumbens, adeò in iis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit, multasque civitates, non sine vitæ discrimine, ab hæresi tunc grassante immunes servavit.

℟. Inveni David servum meum, &c.

Lectio v.

A Paulo IV. cui ob eximias virtutes, charissimus erat, ad Nepesinum, & Sutrinum Episcopatum promotus, & post biennium inter Romanæ Ecclesiæ Presbyter[os] Cardinales adscript[us] fuit. Tum ad Eccles[iam] montis regalis in sub[-] alpinis à Pio IV. tra[ns-] latus, cùm plures [in] eam abusus irrep[sisse] cognovisset, tota[m] Diœcesim lustravit, [re-] busque compositis, Ro[-] mam reversus, gravi[s-] simis expediendis neg[o-] tiis applicatus, quo[d] justum erat, Aposto[li-] ca libertate, & consta[n-] ria decernebat. Mor[-] tuo autem Pio, præte[r] omnium expectatio[nem] electus Pontifex nih[il] in vitæ ratione, exce[-] pto exteriori habit[u] immutavit. Fuit in [eo] Religionis propagand[æ] perpetuum studiu[m] in Ecclesiastica disc[i-] plina restituenda ind[e-] fesus labor, in ext[ir-] pandis erroribus as[si-] dua vigilantia, in sub[-] levandis egentium ne[-] cessitatibus indeficie[ns] beneficentia, in Sed[is] Apostolicæ juribus vin[-] dican-

dicandis robur invictum.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

SElimum Turcarum Tyrannum multis elatum victoriis, ingente comparata classe, ad Echinadas insulas, non tam armis, quàm fusis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam, eâ ipsâ horâ, qua obtenta fuit, Deo revelante cognovit, suisque famliaribus indicavit. Dum verò novam in ipsos Turcas expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, & acerbissimis doloribus patientissimè toleratis, ad extrema deveniens, cùm Sacramenta de more suscepisset, animam Deo placidissimè reddidit, anno millesimo quingentisimo septuagesimo secundo, ætatis suæ sexagesimo octavo, cùm sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in Basilica Sanctæ Mariæ ad Præsepe summa fidelium veneratione colitur, multis à Deo ejus intercessione patratis miraculis, quibus ritè probatis, à Clemente XI. Pontifice Maximo Sanctorum numero adscriptus est.

℟. Iste est, qui ante, &c.

IN III. NOCT.

Homilia in Evangelium; Homo peregrè, *de eod. Commun. 1. loc.*

DE.

DECRETUM URBIS, ET ORBIS.

VT magis, magisque promoveatur cultus, ac veneratio, atque Fidelium major devotio erga S. Pium Papam Quintum, ex Ordine Prædicatorum à SS. D. N. Clemente Papa XI. nuper in Sanctorum albo solemniter adscriptum: Reverendissimus *Pater Antoninus Cloche, Magister Generalis totius prædicti Ordinis, eidem Sanctissimo demissè supplicavit, ut concedere dignaretur dictum S. Pium describi in Martyrologio Romano die 5. Maii cum elogio Sanctitati suæ benè viso, utque Officium ejusdem S. Pii cum oratione, & lectionibus secundi Nocturni propriis à S. R. Congr. approbatis, & jam aliquibus Civitatibus, & Diœcesibus concessum, extendatur ad Ecclesiam Universalem sub ritu semiduplici de præcepto recitandum ab omnibus utriusque sexus, tam Sæcularibus, quàm* Regularibus*, qui ad Horas Canonicas tenentur: & cùm Sanctitas sua supplicationem, ac instantiam remiserit ad S. R. Congr. eadem S. C. oratoris instantiæ indulgeri posse censuit, tam pro appositione in Martyrologio dicti S. Pii cum elogio, quàm pro extentensione Officii cum oratione, & lectionibus propriis secundi Nocturni ad Ecclesiam Universalem, sub ritu semiduplici de præcepto, ut suprà recitandi, si SS. D. N. videbitur. Die 28. Junuarii 1713.*

Factaque deinde per me infrascriptum pro-Secretarium de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 17. Februarii ejusdem anni 1713.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

C. Collicolla S. R. C. pro-Secret.